



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

20. De cessatione pestis per honorem D. Sebastiano impensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

nitentia vniuersum concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem lachrymis immanis commissi facinus deflet, & in tantum die noctuq; perdurat in fletibus, vsquequo luminibus orbaretur.

Paulus diacon. lib. 6. de gestis Longobardorum ca. 2.

De cessatione pestis per honorem D. Sebastiano impensum.

CAP. XX.

Temporibus sextæ Synodi vniuersalis, quæ Constantinopoli sub Agathone celebrata est, exorta est gauissima pestis tribus mensibus, Iulio, Augusto, & Septembri, tantaque fuit multitudo morientium, vt etiam parentes cum filiis atque fratres cum sororibus bini per feretra positi apud urbem Romæ ad sepulchra ducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum depopulata est: ita vt cunctis ciuibus per iuga montium, seu per deserta loca fugientibus in foro & plateis ciuitatis herbæ & frutices enascerentur. Tuncque visibiliter multis apparuit, quod malus & bonus angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre, quoties venabulo illo ostium cuiuscunque domus percussisset, tot ea de domo die sequenti homines interirent. Tunc cuidam per reuelationem dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret, quam in basilica beati Petri, quæ ad vincula dicitur, sancti Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumque est,

est, vt delatis ad urbem Romam beati Sebastiani martyris reliquijs, mox vt in iam dicta Ecclesia altarium constitutum est, pestis ipsa quieuerit.

D. Augustin. lib. 1. Miraculorum S. Stephani, & sermone 69, in tomo nono sermonum, per Ioannē V. limmerium nuper editorum. De paruulo qui catechumenus mortuus, & meritis S. Stephani, matri viuenti restitutus est.

CAP. XXI.

Cuiusdam mulieris filius paruulus mortuus, catechumenus erat, qui matris portatus manibus cum ingenti eiulatu, & miserabili vociferatione ante ipsam memoriam gloriosi Stephani fuerat proiectus, tradens illi mortuum, vt ab eo reciperet viuum. Cumque ad aures amici Dei pulsaret fide pietatis, percussa duplici luctu orbitatis, quod & in presenti vita filium perdidisset, & in futura, vt potè sine gratia baptismi saluum habere non posset: ecce interdiu lamentantis dolorem miseræ matris repente paruulo spiritus redditur, vita tribuitur vox, viuenti conceditur. Cōtinuò presbyter accersitus, baptismum paruulo tradit, sacramenta complentur: atque ita peccatorum lethali cathena anima liberata, statim etiam mortalis carnis vinculo exuitur, & ad Dei spiritales amplexus summa celeritate liberata dimittitur. Ita & non medica consolatione concessa, gaudere de redempto